

unde fit ut in eiusdem recitatione non modicum temporis illius partibus in tot codicibus requirendis et connectendis impendatur, non absque debitæ attentionis ac devotionis iactura; præterquam quod non semper et ubique locorum haberi et revolvi tot libri queunt. Quo motus, sub sanct. mem. Clemente VIII, Iulius Antonius cardinalis Sanctorius, sanctæ Severinæ nuncupatus, nationis Græcorum pariterque monachorum S. Basilii protector, D. ANTONIVM ARCVDIVM fuit cohortatus ut pro iter agentibus et impeditis ac choro interesse non valentibus, sive monachis, sive clericis sæcularibus græco ritu viventibus, divinum officium nocturnum ac diurnum ex prænaratis voluminibus in breviarium et compendium redigeret, prout redegit. Verum cum illud ad chorum non inserviat, sed tantum pro non valentibus ad illum accedere, et pro itinerantibus fuerit compilatum, nec cunctarum præfatarum provinciarum religiosorum ritui accommodatum, idcirco ad usum chori et pro maiori omnium monachorum commodo ac expeditiori divini officii persolutione, ex prænumeratis codicibus colligendum ac in unum Horologium perstringendum quidquid in promptu ac præ manibus in choro et extra haberi debet, curavimus : iuxta tamen formam et præscriptum vetustissimi ac probatissimi Typici, seu ordinarii Græci monasterii Cryptæ Ferratæ per D. Bartholomæum, dicti cœnobii fundatorem et abbatem, a sexcentis sexaginta circiter annis prope modum compositi et formati. Quo in magno pretio habito usi sunt et utuntur cuncti Italo-Græci monachi Basiliani, cuique inconcussa observantia in persolutione divinarum horarum et precum, omnes ordinis huiusmodi antiqui patres probitate vitæ, virtutumque excellentia præstantes, ac pariformiter recentiores etiam se conformarunt : et qui demum in multis prænuncupato Arcudio in supradicti brevii confectione similiter usui fuit; idque nobis cordi extitit ut tale Horologium sic excerptum et compactum, typis traditum, singuli eiusdem ordinis præ manibus habentes et molesta sollicitudine tot voluminum volvendorum exonerati, attentiori non modo,

